

A sed foris corpora sunt, in arte uita sunt. Videte si quo modo potestis, magna enim res dicta est, & si non à me magno, aut non per me magnum, tamen à magno. Non enim à me paruulo dicta sunt hæc: sed ille non est paruulus ad quem respicio, ut dicam, Capiat quisque ut potest, in quantum potest: & qui non potest, nutriat cor ut possit. Vnde nutriat? De lacte nutriat ut ad cibum perueniat, à Christo per carnem nato non recedat, donec perueniat ad Christum ab uno patre natum, uerbum deum apud deum, per quod facta sunt omnia: quia illa uita est quæ in illo est lux hominum: hoc enim sequitur, (Et uita erat lux hominum.) Et ex ipsa uita homines illuminantur. Pecora non illuminantur, quia pecora non habent rationales mentes, quæ possint uidere sapientiam. Homo autem factus ad imaginem dei, habet rationalem mentem, per quam possit percipere sapientiam. Ergo illa uita per quæ facta sunt omnia, ipsa uita lux est, & non quorumcumque animalium, sed lux hominum: unde paulo post dicit, Erat lumen uerum, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Ab illo lumine illuminatus est Ioannes Baptista: ab illo & ipse Ioannes euangelista: ex ipso lumine plenus erat qui dixit, Non sum ego Christus, sed qui post me uenit, cuius ego non sum dignus corrigiam calceamenti soluere. Ab illo lumine illuminatus erat qui dixit, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum: ergo illa uita lux est hominum. Sed forte stulta corda adhuc capere istam lucem non ualent, quia peccatis suis aggrauantur, ut eam uidere non possint: non ideo cogitēt quasi absentem esse lucem, quia eam uidere non possunt: ipsi enim propter peccata tenebræ sunt. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.) Ergo fratres, quomodo homo positus in sole cæcus, præsens est illi soli, sed ipse soli absens est: sic omnis stultus, omnis iniquus, sic omnis impius, cæcus est corde. Præsens est illi sapientia, sed cum cæco præsens est, oculis eius absens est: non quia ipsa illi absens est, sed quia ipse ab illa absens est. Quid ergo faciat iste? mundet unde possit uideri deus: quomodo? Si propterea uidere non possit, quia sordidos & saucios oculos haberet, irruente puluere aut pituita uel fumo, diceret illi medicus, Purga de oculo tuo quicquid mali est, ut possis uidere lucem oculorum tuorum. Puluis, pituita, fumus, peccata & iniquitates sunt. Tolle inde ista omnia, & uidebis sapientiam quæ præsens est, quia deus est ipsa sapientia. Et dictum est, Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt.

Matth. 5

De eo quod scriptum est, Fuit homo missus à deo, cui nomen erat Ioannes, usque ad id quod ait, Plenum gratiæ & ueritatis. Tractatus II.



Bonum est fratres charissimi, ut textum diuinarum scripturarum, & maxime sancti euangelij, nullum locum prætermittentes pertractemus, ut possimus: & pro nostra capacitate pascamur, & ministremus uobis unde & nos pascimur. Capitulum primum præterito die dominico tractatum esse meminimus, id est, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum, hoc erat in principio apud deum, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In illo uita erat, & uita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt: hucusque tractatum esse credo. Recordamini omnes qui affuistis, & qui non affuistis, credite nobis & his qui adesse uoluerunt. Nunc ergo quia non possumus semper omnia replicare propter eos, qui hoc uolunt audire quod sequitur, & oneri est illis, si repetantur priora cum defraudatione posteriorum, dignentur & qui non aderant non præterita exigere, sed cum his qui aderant & nunc audire præsentia. Sequitur, (Fuit homo missus à deo, cui nomen erat Ioannes.) Etenim ea quæ dicta sunt superius, fratres charissimi, de diuinitate Christi dicta sunt ineffabili & propè ineffabiler. Quis enim capiat, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum? Et ne uilescat tibi nomen uerbi per consuetudinem quotidianorum uerborum, & deus erat uerbum. Hoc uerbum idipsum est, unde hesternò die multum locuti sumus, & præstiterit dominus